

nam mihi Cassandrae per somnum vatis imago
ardentis dare visa faces: „hic quaerite Troiam,
hic domus est“ inquit „vobis“. iam tempus agi res,
nec tantis mora prodigiis. en quattuor arae
Neptuno; deus ipse faces animumque ministrat.’ 640
haec memorans prima infensum vi corripit ignem
sublataque procul dextra conixa coruscat
et iacit. adrectae mentes stupefactaque corda
Iliadum. hic una e multis, quae maxima natu,
Pyrgo, tot Priami natorum regia nutrix: 645
‘non Beroë vobis, non haec Rhoeteia matres
est Dorycli coniunx: divini signa decoris
ardentisque notate oculos, qui spiritus illi,
qui voltus vocisque sonus vel gressus eunti.
ipsa egomet dudum Beroën digressa reliqui 650
aegram, indignantem, tali quod sola careret
munere nec meritos Anchisae inferret honores.’
haec effata.

at matres primo ancipites oculisque malignis
ambiguae spectare rates miserum inter amorem 655
praesentis terrae fatisque vocantia regna,
cum dea se paribus per caelum sustulit alis
ingentemque fuga secuit sub nubibus arcum.
tum vero attonitae monstris actaeque furore,
conclamant rapiuntque focis penetralibus ignem, 660
pars spoliant aras, frondem ac virgulta facesque
coniciunt. furit inmissis Volcanus habenis
transtra per et remos et pictas abiete puppis.
nuntius Anchisae ad tumulum cuneosque theatri
incensas perfert navis Eumelus, et ipsi 665
respiciunt atram in nimbo voltare favillam.
primus et Ascanius, cursus ut laetus equestris
ducebat, sic acer equo turbata petivit
castra nec exanimes possunt retinere magistri.
‘quis furor iste novos, quo nunc, quo tenditis’ inquit 670
‘heu miserae cives? non hostem inimicaque castra
Argivom, vestras spes uritis. en ego vester